

1297 (1296) März 20.

[75]

Bischof Everhard von Münster befundet den Verkauf des Erbes Ebefinc, Kspl. Legden, und des Erbes Tomore, Kspl. Osterwic, an das Kloster Barlar.

Everhardus, Dei gratia Monasteriensis episcopus, universis praesentia visuris salutem et notitiam rei gestae. Noveritis, quod in nostra propter hoc constituti praesentia Joannes dictus Rute et Wilhelmus filius eiusdem, famuli, recognoverunt, se vendidisse rationabiliter et legitime pro propriis bonis dilectis in Christo praeposito et conventui ecclesiae Varlarensis domum dictam Ebekinc, sitam in parochia Leeden, et domum seu mansum dictum Tomore, situm in parochia Osterwic, cum hominibus, nemoribus, pascuis, lignis, pratis, agris cultis et incultis ac aliis omnibus iuribus et pertinentiis earundem, prout iacent, pro certa summa pecuniae eisdem Joanni et Wilhelmo a praedictis praeposito et conventu numerata, tradita et assignata. Quas domus cum omnibus pertinentiis praedictis<sup>1)</sup> Joannes et Wilhelmus praedicti, Mergardis et Regewigis uxores ipsorum Joannis et Wilhelmi legitime ac Joannes praedicti Wilhelmi filius cum aliis haeredibus suis coram nobis libere resignarunt, renunciantes expresse omni juri, quod ipsi aut cuilibet ipsorum in dictis bonis competiit aut quoquomodo competere poterat in futurum; promiseruntque Joannes Rute et Wilhelmus famuli supradicti, quod praefatis praeposito et conventui in bonis praenominatis plenam et legitimam praestabunt et facient warandiam. Acta sunt haec praesentibus Ludolpho de Monasterio, Gerardo de Wederden, Mathia Sasse, Hermanno de Sendene, militibus; Theoderico de Lune, Bernardo de Asbecke, Gotfrido de Koten, Hermanno et Theoderico fratribus de Borchorst, Arnolde Scoke, Gerardo Schortecule<sup>2)</sup> et Joanne Uppenbergh et aliis quam pluribus fide dignis. In cuius rei testimonium sigillum nostrum praesentibus est appensum. Datum anno Domini millesimo ducesimo nonagesimo sexto, feria quarta ante dominicam Laetare.

Kopie im Barlarer Kopiar S. 97.

127